

Martinus Fornarius, *De ordinatione*, cap. 2, num. 4; Bonacina, *loc. cit.*, num. 16, cum aliis ibi allegatis; La Croix, *loc. cit.*, num. 16, et alii passim, et Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 10, num. 26, et expresse decrevit sacra congregatio S. Officii die 1 Augusti 1697, apud Pascuc. in *Compend.*; Pignat., *De ordine et ordinatione*, qua re mature perpensa statuit ordinaros ab episcopo, qui per aliam fecerat porrigere materiam, esse reordinandos sub conditione ad formam interstitiis, et extra tempora habilitando et dispensando forsitan inhabiles ad quæcunque beneficia, et dignitates, etiam curata, et absolvi mandavit eosdem ab irregularitate ex exercitio ordinum forsitan contracta. Et sic ordinaros ab episcopo Sagiensi, qui non tradiderat per seipsum instrumenta ordinandis, reordinari, saltem sub conditione, mandavit Clemens VIII, teste Mastrio, *cit.*, disp. 19, num. 26.

67. Hinc recte universim concludit doctissimus P. La Croix, *loc. cit.*, num. 2148, quod practice improbabilis sunt sequentes sententiæ. 1° Quod ad validam consecrationem episcopi sufficiat sola manuum impositio, et non requiratur traditio, nec baculi pastoralis, nec annuli, nec libri Evangeliorum: possuntque Dicast. a num. 110, et Illsung num. 25 de hoc videri. 2° Quod ad valorem diaconatus sufficiat vel sola impositio manuum, vel sola traditio libri Evangeliorum, et non requiratur utrumque simul; de quo videri possunt Avers., quæst. 2, § 6, et Dicast., a num. 164. 3° Quod sufficiat prius pot formam attingere vasa; ordinationem enim tunc esse invalidam docent Caj., Rich., Nav., Granado, et alii. 4° Quod ad valorem ordinum majorum non requiratur ut ordinans ipse tradat materias. 5° Quod ad valorem ordinum non requiratur contactus physicus, saltem mediatus, vasorum, seu instrumentorum, etc. Ratio horum omnium est, quia sententiæ negantes talia requiri ad valorem, non sunt moraliter certæ, sed tantum probabiles; oppositæ autem sunt tutiores; ergo non licet, his relictis, sequi illa. Carden. et alii, potestque videri etiam Aversa, s. 2, afferens auctores et rationes in utramque partem. Hactenus ille.

68. Ordines quinam suppleri debeant a clericis Græcis, qui ritu Latino ad superiores ordines sint promovendi, declarat Benedictus XIV, tom. I, constitut. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 7. Ubi etiam quibus legibus,

(161) Ut aliqua de ritibus ordinum conferendorum addamus, quæ ad Græcarum ordinationum ritus spectant, ex Goarii Euchologio, et Haberti Pontificali petenda sunt. Id generatim dico, Græcis nullum in ordinatione usum esse sive instrumentorum traditionis, sive etiam unctionis. An autem unctione antiquitus saltem usi fuerint, controvertitur. Atque id quidem nonnulli putant colligi posse ex veterum testimoniis, præsertim Gregorii Nazianzeni, orat. 5, et auctoris Vitæ Chrysostomi apud Metaphrastem, apud quos sacri antistites dicuntur *chrismate deliniti*. Aliis tamen non videtur id sufficiens fundamentum.

et ritibus fieri debeant ordinationes Græcorum, præscribitur. *Vide* tom. III, verb. Græci.

69. Ordinationes Græco Ruthenorum ad Ecclesiam catholicam redeuntium episcopo Auxerensi delegantur. Idem, constitut. 63, incip. *E sublimi*.

70. * Ordinem verum esse novæ legis sacramentum ex consensu theologorum omnium et concilii Tridentini definitione sess. xxiii, cap. 3, certum est ut supra traditum. Id vero sacerdotio convenire una est omnium theologorum catholicorum vox, nec sine periculo gravis erroris id negaretur de episcopatu, quamvis diversum non esse ordinem a sacerdotio, sed ejus extensionem, perfectionem, complementum teneretur. De diaconatu, quamquam certum non sit de fide ex sensu quorundam theologorum, at tamen ex Tridentini definitione inferri posse videtur.

71. De cæteris singularibus ordinibus disceptant theologo, quamvis de subdiaconatu aliquanto minor sit quæstio præ cæteris inferioribus. Hanc definiendam Pontifex nequaquam se assumpsisse profitetur. Quare vetat episcopis, ne sacrilegii criminis in suis synodis eos damnent, qui cum conscientia peccati lethalis ordines diaconatu inferiores suscipiant. Quamvis alio nomine se sacrilegii gravis reos statuerent, cum sacra ordinatio fieri plerumque non soleat, nec possit extra missarum solemniam, in quibus recens initiati sacra Eucharistia participant, cui irreverentiam gravem irrogaret ille, qui cum conscientia gravis peccati ad eam suscipiendam accederet. *De synod. diac.*, lib. vii, cap. 24, per totum.

72. De materia hujus sacramenti dubietas intercedit (de episcopatu, sacerdotio et diaconatu res est) num in instrumentorum traditione, num vero in impositione manuum, num tandem in utraque simul consistat quin et de impositione manuum dubii hæremus; trina est enim. Ex quo fit ut si in aliquo rerum articulo omitti aliquid contigerit, ex responso sac. congregationis, censet Pontifex ut simul tota ordinatio sub conditione iteretur. *Ibidem*, cap. 25.

73. Sacri vero ordines intra missarum solemniam nec ab alio, quam ab episcopo ordinante celebranda conferendi sunt, et reum se gravis culpæ episcopus constitueret, qui alio sacerdote celebrante, ipse interim sacræ ordinationis ministerium præstaret. Valeret tamen ordinatio. *Ib.*, cap. 26, § 5 et 6 (161).

Nempe in laudatis locis *chrismatis unctionem* mystico duntaxat sensu accipiendam esse contendunt Græcorum rituum periti, ut Arcudius lib. vi *De sacram.*, cap. 1, et Morinus in *Commentario de ord.*, p. iii, exercit. 6. Nobis id insinuasse satis esto.

Latinorum in sacris ordinibus ritus habes in concilio Carthaginensi iv, anni 398, præsertim vero in Pontificali Romano, ad cuius illustrationem multa conferent Menardus ad S. Gregorii M. Sacramentarium, Martenius, *De antiquis Ecclesie ritibus*, laudatus Morinus, et Catalanus in suo ad Pontificale commentario.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

74. Concilium Tridentinum, sess. xxii, canon. 2 et 3, de sacrament. ordin. definit dari in Ecclesia præter sacerdotium alios ordines majores, et minores, et ordinem esse verum sacramentum.

75. Quod attinet ad minores ordines, semper in Ecclesia, tum Latina, tum Græca, diaconatus fuit major ordo. At subdiaconatus major utique ordo erat tempore concilii Tridentini, sed in ipsa Ecclesia Latina, non nisi exeunte sæculo decimo, inter ordines majores adnumeratus est; Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprud. canonica*, verbo *Ordo*, num. 1 et seq.

76. Quod vero concernit minores ordines, dum concilium Tridentinum fuit conditum, erant in Ecclesia Latina quatuor minores ordines; at antea in ipsa Ecclesia Latina alicubi erant pauciores. Rousseaud de la Combe, in sua *Jurisprud. canon.*, verb. *Ordo*, d. num. 2; Morin. exercit. 13, cap. 1, ubi et de numero ordinum minorum in Ecclesia Græca.

77. Patet ex his, minores ordines non esse a Christo, neque ab apostolis immediate institutos, sed ab Ecclesia, crescente fidelium multitudine, pro locorum, et temporum necessitate, et opportunitate. (78. Monet vero Morin., *ubi supra*, dici et eos posse juris divini, et institutionis apostolicæ, in quantum ipsi *eminenter et formaliter* in diaconatu continebantur, atque Ecclesiam postmodum, crescente fidelium, ac ministrorum numero, de diaconatu eduxisse. At locutio hæc scholasticis utique non item Morino castigatioris eruditionis viro convenit.

79. Recte vero idem Morin. concludit minores ordines, utpote nec a Christo, nec ab apostolis institutos, rationem sacramenti haud habere. Neque id est contrarium canon. 3 mox citati concilii Tridentini. Subsistit enim veritas hujus canonis, licet solus presbyteratus sit sacramentum. Consule etiam Van-Espen., *Jur. Eccles. univ.*, part. ii, tit. 9, cap. 1, § 6.

80. De materia et forma sacramenti ordinis nil concilium Tridentinum definit. At Eugenius IV in decreto pro Armenis de hoc sacramento disserens: « Cujus, inquit, materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo; sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem; diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem; subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: « Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: et sic de alio rum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. »

81. Non male autem Morinus, et Van-Espen., *l. c.*, tradunt, quod mens Eugenii IV in hoc decreto, seu instructione, haud fuit, essentialis et a Christo institutas materias

et formas sacramentorum assignare, sed ad summum usitatas tunc in Ecclesia Latina materias, et formas, ut hoc decreto redderentur Armeni de ritu Ecclesiæ instructi.

82. Cæterum, quæ hodie pro forma et materia præscribuntur, exacte observari debent. Confer hic etiam Rousseaud de la Combe, in sua *Jurisprud. canon.*, verb. *Ordo*, n. 3, ubi quod unctio in ordinatione est tantum cæremonialis, nec semper fuit adhibita.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt tempora faciendarum ordinationum, et qualitates ordinariorum.

SUMMARIUM.

1. Prima tonsura quando et ubi conferri possit? — 2. Ordines minores conferri possunt, non solum in generalibus ordinationibus, sed etiam singulis Dominicis, atque festis diebus, etiam extra missam. — 3. Imo non solum unum, aut duo possunt episcopi promovere ad ordines minores dictis diebus Dominicis et festis, sed etiam plures, dummodo non tot ordinentur, quod videatur esse generalis ordinatio. — 4. Dicti dies festivi, quibus ordines minores conferri possunt, sunt dies festi, qui a populo coluntur, et servantur. — 5. Ordines minores olim non solum dictis diebus festis, sed etiam alio quocunque die, et loco benevisio episcopis poterant conferri. — 6. Hodie autem per generalem ordinationem non conferuntur, nisi in quatuor temporibus, aut sabbato sancto, vel sabbato ante Dominicam Passionis, et per specialem paucorum ordinationem, in Dominicis, et aliis festis diebus. — 7. Ex consuetudine tamen plurimum ecclesiarum ordines minores conferuntur, non in sabbato, sed in feria sexta, vel quarta quatuor temporum vespere. — 8. Hinc non est necesse, quod conferens et recipiens ordines minores sint jejuni. — 9. Ordines majores de jure conferri possunt solummodo in sabbatis omnium quatuor temporum, in sabbato ante Dominicam Passionis, et in sabbato sancto tempore missæ. — 10. Nec potest induci consuetudo conferendi dictos ordines majores in aliis temporibus. — 11. Ex privilegio autem Summi Pontificis possunt valide, et licite conferri ordines majores extra dicta tempora. — 12. Et ad hoc validum et stabile privilegium habent regulares omnes. — 13. Imo regulares habent Apostolicum privilegium recipiendi ordines sacros etiam tribus diebus festis continuis. — 14. Episcopatus confertur die Dominico, vel natalitio apostolorum, nisi Summus Pontifex aliud specialiter indulerit. — 15. Supradicta tempora a jure statuta ad conferendos ordines, non sunt de substantia collationis illorum. Unde, si, illis non servatis, conferantur, imprimatur nihilominus character. — 16. Duo ordines sacri nequeunt conferri eadem die. — 17. Imo eodem die neque conferri debent ordines minores et subdiaconatus, nisi adsit consuetudo, quæ est probanda per episcopum. — 18. Potest tamen episcopus ordines minores ex consuetudine privatim aliquibus conferre die Veneris quatuor temporum, si sit dies festus, et in sabbato ad subdiaconatum eos promovere ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ. — 19. Afferitur ad rem decretum sacræ congregationis. — 20. Imo plurimi volunt absolute, quod, dispensante episcopo, possint ordines minores die immediate præcedente sabbatum quatuor temporum conferri, et die sabbati subdiaconatus, ut asserunt illi usum obtinuisse in Hispaniis, Italia, et alibi. — 21. Quoad interstitia temporum ad ordinationem requisita, *remissive*. — 22. Ordinum sacrorum collationes publice in cathedr. eccles. vocatis, presentibus ad id eccles. canonicis, celebrari debent. — 23.

Ordines autem minores potest episc. conferre in ejus domo episcopali. Imo in ejus domo, seu capella episcopali videntur passim conferri etiam ordines sacri, ut jam usus invaluit in plurib. diocesis. — 24. Ad valide recipiendos ordines requiritur, quod ordinandi sint masculi. — 25. Femine sunt omnino incapaces recipiendi ordines. — 26. Adducitur, et solvitur duplicata instantia. — 27. An autem hermaphroditus sit capax recipiendi ordines? *remissive*. — 28. Item ad valide recipiendos ordines requiritur, quod ordinandi sint baptizati: et ad id affertur notabilis casus. — 29. Item ad valide recipiendos ordines requiritur, quod ordinandi adulti habeant debitam intentionem et voluntatem ipsos recipiendi. — 30. Ad licite autem recipiendos ordines requiritur primo, quod ordinandi sint in statu gratie. — 31. Secundo requiritur, quod sint confirmati. — 32. Tertio requiritur, quod ordinate, seu gradatim, et non per saltum ordines suscipiant. — 33. Quarto requiritur, quod non sint irregulares. — 34. Si furiosus, aut infans, vel dormiens hominem mutilet, seu occidat, non fit irregularis. — 35. An infans ante septennium completum habens plenum usum rationis, et occidat hominem, fiat irregularis? ad num. 37. — 38. Si dubitetur an infans, cum homicidium commisit, habuerit sufficientem usum rationis ad peccandum mortaliter, probabilis censendus est irregularis. — 39. Et id certius tenendum est de puero decem circiter annorum, si non adhibuit debitam diligentiam ad evitandum homicidium, quamvis reputetur casuale. — 40. Affertur et solvitur objectio. — 41. Generaliter dicendum est, quod ob homicidium casuale incurritur irregularitas a dante operam rei illicita, quamvis adhibuerit debitam diligentiam ad evitandum homicidium. — 42. Hinc clericus, qui sese exercens cum scopeto, hominem, quem non videbat, occidit; seu venando telum in feram misit, et hominem occidit, irregularis est, etiamsi omnem adhibuerit diligentiam. — 43. Item irregularis evadit ex homicidio casuale, qui non adhibuit debitam diligentiam ad ipsum evitandum, quamvis daret operam rei licite. — 44. Secus tamen si adhibuerit debitam diligentiam. — 45. Neque evadit irregularis furiosus, si, durante furore, hominem occidat. — 46. Evadit tamen irregularis, si dilucida intervalla habeat, et hominem occidat, dum sane mentis est. — 47. Non est autem irregularis, licet gravi sua culpa in furorem, vel amentiam incideret. — 48. Item non evadit irregularis dormiens propter homicidium a se commissum in somnis. — 49. Esset tamen irregularis, si sciebat se ad id dormiendo solitum esse, et non adhibuit diligentiam debitam ad evitandum. — 50. Sic pariter dicendum est de ebrio, qui non adhibuit prius debitam diligentiam. — 51. Non esset tamen ebrius ob id irregularis, si inopinato, et ex improvise absque culpa hominem in ebrietate occideret. — 52. Irregularitas ob homicidium casuale saltem indirecte voluntarium incurritur ab homicida, quamvis ob id non fuerit a tribunali laicali condemnatus, ad num. 54. — 55. Pro dispensatione hujusmodi irregularitatis adenda est Sedes Apostolica. — 56. Facilius dispensatur cum jam promoti, quam cum promovendo. — 57. Potest autem episcopus dispensare super irregularitate orta ex homicidio casuale occulto. — 58. Sic potest dispensare cum eo qui hominem occidit, non intendens occidere, et cum eo qui mandavit servo, ut alterum baculo percuteret, sine homicidio, si homicidium contra suam voluntatem sequatur. — 59. Item super irregularitate ex homicidio occulto causa defensionis facta, non servato moderamine inculpatae tutelae. — 60. Secus autem, si tale homicidium, vel aliud casuale sit notorium, et publicum, vel ad forum contentiosum deductum. — 61. Neque dispensare potest super irregularitate absque delicto orta, ex defectu perfectae lenitatis. — 62. Potest tamen dispensare super irregularitate orta ex quacunque

mutilatione, etiam voluntaria, si sit occulta. — 63. Item, dispensare potest super irregularitate orta ex homicidio casuale, seu indirecte tantum voluntario, quamvis notorio, ad ordines minores, et beneficium simplex. — 64. Papa est incapax irregularit. — 65. Ad eruditionem affertur curiosus casus. — 66. Potest episcopus dispensare super irregularitate contracta ab eo qui duos sacros ordines eodem die suscepit, et in pluribus aliis similibus, quae assignantur dummodo delictum sit occultum. — 67. Occultum autem quantum ad hoc non dicitur, si probari delictum possit per aliquos testes. — 68. In casibus quomodocunque occultis ex nova lege post conc. Trid. Sedis Apostolicae reservatis, nequeunt episcopi dispensare. — 69. Cardinales in suis titulis, sicut abbates et praetuli habentes jurisdictionem quasi episcopalem, et Sedis Apostolicae immediate subiecti nequeunt uti dicta facultate dispensandi, et absolvendi in casibus occultis tributa a concilio Tridentino episcopis. — 70. Quinto, requiritur, quod nulla censura sint ligati. — 71. Sexto, requiritur, quod sint in aetate canonica constituti. — 72. Infantes tamen, quamvis illicite, valide ordinantur ad quemcunque ordinem, etiam presbyteratus. — 73. Imo infantes ordinantur valide etiam ad episcopatum. — 74. Aetas canonica pro prima tonsura, ostiariatu, lectoratu et exorcistatu sunt anni septem completi. — 75. Pro acolytatu sunt anni duodecim completi. — 76. Pro subdiaconatu sunt anni viginti duo. — 77. Pro diaconatu sunt anni viginti tres. — 78. Pro presbyteratu sunt anni viginti quinque. — 79. Qui anni requisitum a Tridentino pro his tribus sacris ordinibus sufficienter incepti. — 80. Pro episcopatu requiruntur anni triginta completi. — 81. Septimo, requiritur, quod sint scientia sufficienti instructi pro quolibet ordine suscipiendone. — 82. Octavo, requiritur, quod ordinentur a suis propriis respective episcopis, vel ab aliis de eorum licentia, et cum suis dimissoriis. — 83. Nono, requiritur, quod ordinandi in sacris habeant legitimum titulum sustentationis, scilicet aut beneficii ecclesiastici pacifice possessi, aut patrimonii sufficientis ad honestam sustentationem, aut paupertatis religiosae. — 84. Ad titulum beneficii, ut quis licite ordinetur, requiritur, quod sit beneficium proprie dictum. — 85. Et quod tale beneficium sit sufficienter ad honestam ipsius sustentationem, et pacifice possessum. — 86. Unde, qui non habet beneficium sufficienter, non debet ordinari cum supplemento patrimonii, nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiae id exigat. — 87. Et si beneficium, ad cuius titulum ordinatur ab episcopo non suo, non est sufficienter juxta taxam sui ordinari, esset suspensus quoad exercitium ordinum. — 88. Imo nedom ipse ordinatus esset suspensus ab exercitio ordinum, quandiu proprio ordinario videbitur expedire; sed etiam episcopus ordinans esset suspensus per annum a collatione ordinum, et uterque subiaceret gravioribus poenis pro modo culpa. — 89. Et tale beneficium non potest ordinatus postmodum resignare, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio potest admitti, nisi constituto, quod aliunde vivere commode possit; aliter autem facta resignatio nulla est. — 90. Ad titulum patrimonii, vel pensionis, ut quis licite ordinari possit, requiritur, quod episcopus iudicet talem pro necessitate vel commoditate suarum ecclesiarum esse assumendum, illudque patrimonium, vel pensionem, et ad vitam sustentandam sufficienter esse, et vere ab ipso obtineri. — 91. Unde clericus suscipiens ordines sacros cum patrimonio ficto, sicut etiam cum ficto beneficio, suspensionem incurrit. — 92. Non est tamen suspensus ipse ordinatus, si bona fide, et sine ulla sua fraude et dolo absque legitimo titulo ordinaretur. — 93. Tale patrimonium, seu pensio posthac sine licentia episcopi alienari, aut extinguere, vel remitti nullatenus potest, donec ordinati beneficium

ecclesiasticum sufficienter suo statui sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. — 94. Unde patrimonii titulus non exstinguitur, etiamsi ordinatus acquirat alia bona, donec ab episcopo loco patrimonii subrogentur. — 95. Neque ordinatus potest absque expressa licentia episcopi donare patrimonium libere constitutum, reservato sibi usufructu ad vitam. — 96. Neque potest absque dicta licentia episcopi illud in emphyteusim concedere, reservato desuper annuo canone fructibus correspondente. — 97. Neque patrimonium potest sine licentia episcopi alienari etiamsi ordinatus consequatur beneficium. — 98. Prohibito concilio Tridentino alienandi patrimonium extenditur ad fideiussionem ordinati, et quomodo in tali casu provideatur creditori. — 99. Patrimonium constitui potest etiam in censibus. — 100. Ordinibus sacris initiari non potest, qui bonis cessit. — 101. Ad titulum paupertatis, seu professionis religiosae, ut quis licite ordinetur, requiritur, quod sit vere professus. — 102. Unde novitii sine titulo beneficii, vel patrimonii, aut pensionis nequeunt promoveri ad sacros ordines. — 103. Et hoc ipsum habet locum, non solum in novitiis, seu non professis, sed etiam in nulliter professis. — 104. Patres autem Societatis Jesu, qui tria vota paupertatis, castitatis et obedientiae in Societate emisserunt, de licentia praepositi generalis possunt promoveri ad sacros ordines absque titulo, etiam ante solemnem professionem. — 105. Patribus Societatis Jesu sic ordinatis nulla debentur alimenta a dicta Societate, si contingat eos ante solemnem professionem a praeposito generali a dicta Societate dimitti. — 106. In calculandis redditibus beneficii pro titulo ordinandi, an sint detrahenda onera missarum eidem beneficio adjecta; et an detrahenda sint distributiones quotidianae, si beneficium sit residentiale? — ad n. 110. Affertur decret. sac. cong. Conc. — 111. Alia ad rem ad n. 123. — 124. De denegat. ordin. ob crimen occultum, ad n. 129. — 130. Alia ad rem cum addit. ex aliena manu ad n. 146.

(1. Prima tonsura conferri potest quocunque die, et hora, et loco. Ita expresse Pontificale Romanum, in Rubric. *De ordin. conferend.*, ibi: « Clericatus, seu prima tonsura quocunque die, et hora, et loco conferri potest. » Et sic tenet communis doctorum; non enim alicubi in jure reperitur quid aliud de ea constitutum.

(2. Ordines minores conferri possunt, non solum in generalibus ordinationibus, sed etiam singulis Dominicis, atque festivis diebus, etiam extra missam. Sic Pontificale Romanum, tit. *De minoribus ordinibus*, et habetur ex cap. *De eo 3*, De temporibus ordinationum, ibi: « Licetum est episcopis Dominicis, aut aliis festivis diebus unum, aut duos ad minores ordines promoveri. » (3. Imo non solum unum, aut duos possunt episcopi promoveri ad ordines minores dictis diebus, sed etiam plures, dummodo non tot ordinentur, quod videatur esse generalis ordinatio. *Glossa, ibid.*, verb. *Aut duos*; Sylvester, verb. *Ordo*, 2, q. 6; Gobat, tom. I, tract. 8, num. 453, cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel., lib. I *De cr.*, tit. 1, num. 31; Rossignol., *De ordinibus ecclesiasticis*, part. I, De ordinibus in communi, quaest. 2, art. 7, n. 4, ubi recte dicit, quod in citato textu cap. *De eo 3*, ly *unum, aut duos* non positum sit *restrictive, sed exemplificative*, et sic tenent alii passim, et servat praxis.

(4. Dicti dies festivi, quibus ordines minores

res conferri possunt, sunt dies festi, qui a populo coluntur et servantur. Sic expresse declaravit sacra congreg. Conc. apud Fagnan. in cit. cap. *De eo 3*, De temporibus ordinationum, n. 24. (5. Ordines minores olim non solum dictis diebus festivis, sed etiam alio quocunque die, et loco benevisio episcopis poterant conferri, ut patet ex cap. *Quando 6*, dist. 75, ibi: « Quando, et ubi libitum fuerit, usque ad subdiaconatus officium clerici ordinentur. » (6. Hodie per generalem ordinationem non conferuntur, nisi in quatuor temporibus, aut sabbato sancto, vel sabbato ante Dominicam Passionis, et per specialem, et privatam paucorum ordinationem, in Dominicis, et aliis festivis diebus, juxta d. cap. *De eo 3*, De temporibus ordinationum, ut notat Fagnan., *ibid.*, num. 30. (7. Ex consuetudine tamen plurium ecclesiarum ordines minores conferuntur, non in sabbato, sed in feria sexta, vel quarta quatuor temporum, quae consuetudo, ut dicit Layman, in cit. cap. *De eo 3*, De temporibus ordinationum, reprehendi non potest. Et quidem, quod ordines minores conferantur pluribus in locis vespere illius feriae 6 testantur passim doctores, et signantur Gobat, tom. I, tract. 8, num. 52; Escobar, in *Theolog. moral.*, l. XIII, cap. 18, num. 430; Rossignol., *loc. cit.*, n. 6; Quintanadven., *Singular.*, tract. 6, singular. 7, num. 1; Henricq., in *Summa*, lib. x, cap. 12, § 2; Reiffenstuel., *loc. cit.*, num. 32, et alii plurimi. Imo hoc concedere consuetudinem ubique receptam testatur Fagnan. in cit. cap. *Ex eo*, num. 14, post Henriquez, *loc. cit.*, quamvis subjungat praestare, ut talis consuetudo tollatur, et ad rem facit dubium propositum in sacra congreg. Concil. ab episcopo Portalegrensi: « An, supposita consuetudine immemorabili, licitum sit conferre primam tonsuram, et minores ordines feria sexta post prandium ante diem sabbati? » Ad quod praefata sac. congreg. Concil. die 13 April. 1720 respondit: « *Affirmative* quoad primam tonsuram, et quoad minores ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse, sed expedire ut episcopus se conformet Pontificali Romano tit. *De minoribus ordinibus*. » Sic refert Card. Petra, t. V. *Comment. ad constitut. 7 Pii II*, sub n. 48, in fine.

(8. Hinc non est necesse, quod conferens, et recipiens ordines minores sint jejuni. Reiffenstuel., *l. cit.*, num. 32; Layman, in d. cap. *De eo 3*, De temporibus ordinationum, et alii passim; eum enim possint conferri, et saepe conferantur post prandium, stat clarum quod nec in conferente nec in recipiente requiritur jejunium.

(9. Ordines majores de jure conferri possunt solummodo in sabbatis omnium quatuor temporum, in sabbato ante Dominicam Passionis et in sabbato sancto tempore missae, cap. *De eo 3*, De temporibus ordinationum, et cap. *Ordinatione 7*, dist. 75, cum similibus, in quibus licet dicatur « in quatuor temporibus, » et hujusmodi, non debet intelligi quod ordines majores possint de

jure conferri die Mercurii et Veneris, sed solum die sabbati eorumdem hebdomadarum, Cap. *Ordinationes*, 3, cap. *Quod a Patribus* 4, dist. 75, cap. *Litteras* 13, De temporibus ordinat. Sic expresse Fagnan., lib. I *Decret.*, in cit. cap. *De eo* 3, De temporibus ordinat., num. 17 et 18, cum multis ibi citatis; Barbosa *De offic. et potest. episcop.*, part. II, alleg. 17, num. 1 et 3, cum pluribus ibi citatis, ubi reddit rationem, quare potius diebus sabbati Ecclesia constituerit sacros ordines esse conferendos; quia nempe sabbatum significat requiem; legitur enim *Genes.* II quod requievit Deus die septimo ab omni opere quod patrarat. Qui autem ad sacros ordines assumuntur, a sæculi laboribus ad requiem Domini, seu ecclesiasticam transeunt; *Glossa* in cit. cap. *Litteras*, verb. *Pertinere*, De temporibus ordinat.; cum illis non amplius negotiari permittatur, cap. *Fornicari* 10, dist. 88; quem transitum non faciunt ordinati in minoribus, cum ad sæculum redire valeant, c. *Si qui* 2, dist. 32; cap. *Joannes* 7, De cleric. conjugat., Card. Petra, tom. V *Comment. ad constit. 7 Pii II*, num. 7 et seq., et alii passim. (10. Nec potest induci consuetudo conferendi dictos ordines majores in aliis temporibus, textu expresse in cap. *Sane* 2, De temp. ordinat., Barbosa, citat. alleg. 17, num. 4, cum aliis ibi citatis.

(11. Dicitur autem notanter *de jure*, quia ex privilegio Summi Pontificis possunt valide et licite conferri ordines majores extra dicta tempora; Papa enim secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare, textu expresse in c. *Proposuit* 4, De concession. præbend. Et de facto sæpe sæpius dispensat cum pluribus.

(12. Et ad hoc validum et stabile privilegium habent regulares omnes, ut novissime declaravit Benedict. XIII in conc. Romano celebrato an. 1725, tit. 5, *De temporibus ordinationum*, cap. 2, ibi: « Quo vero ad regulares privilegia a Summis Pontificibus habentes, sive expresse, sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet ordines extra tempora suscipiendi; cum privilegia ipsa in suo robore persistent, nec iis derogatum fuisse constet, decernimus proinde regulares eosdem absque novo indulto Apostolico tuto posse extra tempora ordinari. » (13. Imo regulares habent Apostolicum privilegium recipiendi ordines sacros etiam tribus diebus festis continuis, ut expresse concessit Societati Jesu cum prohibitione communicationis Gregorius XIII, constitut. incip. *Pium et utile*, et absolute sine prohibitione communicationis concessit congregationi reformatæ Sancti Bernardi Gregorius XIV, constitut. *Romanus Pontifex*, et Clemens VIII, die 13 Novembr. 1596 concessit congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, ut possint ordinari extra tempora, et per quemcumque episcopum communionem Ecclesiæ catholicæ habentem tribus Dominicis, vel festis diebus continuis, vel interpolatis, etiam non servatis interstitiis. Quod privilegium se se

vidisse testatur Portell., in *dub. regular.*, verb. *Ordo*, num. 4, et ex ipso testatur Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 51; Sporer, tom. III, part. I, cap. 5, sect. 4, num. 121; Rosignol., *De ordinibus in communi*, part. I, qu. 2, art. 8, n. 3, et alii. Unde ex vi dictarum concessionum non solum noster ordo, seu religio minorum, sed etiam omnes aliæ religiones participant privilegia dictarum congregationum; tum quia post Gregorium XIII per alios Pontifices successores fuerunt concessa variis aliis religionibus privilegia Societatis Jesu absque ulla penitus restrictione, ac si eisdem concessa noviter essent, et primo; quibus stantibus in dies cernimus a doctissimis et gravissimis episcopis regulares (ut de suis testatur sapientissimus P. Rosignolus, *loc. cit.*, n. 4) extra tempora tribus diebus festis immediate subsequen- tibus sacris ordinibus initiari.

(14. Episcopatus confertur die Dominico, vel natalitio apostolorum, nisi Summus Pontifex aliud specialiter indulerit, cap. *Ordinationes episcoporum* 1, et c. *Quod Dominico* 5, dist. 75, et Pontif. Roman., tit. *De consecrat. electi in episcopum*.

(15. Supradicta tempora a Jure statuta ad conferendos ordines non sunt de substantia collationis illorum; unde, si, illis non servatis, conferantur, imprimatur nihilominus character. *Glossa* in cap. *Ordinationes* 1, dist. 75, et alia *Glossa* in cap. *Vel non est compos* 14, De temporibus ordinationum, verb. *Ætatem*; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. II, allegat. 17, n. 8; Ugolin., *De potest. episcop.*, cap. 26, § 25, num. 1, in princip.; Fagnan., in cit. cap. *De eo* 3, De temporibus ordinat., n. 20, et in cap. *Vel non est compos* 14, eod. tit., n. 7, et alii passim.

(16. Duo ordines sacri nequeunt conferri eodem die: cap. *Litteras* 13, et cap. *Dilectus*, 15, De temporibus ordinat., et expresse concil. Trid., sess. xxiii, cap. 13, *De reformat.*, ibi: « Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus, conferantur, privilegiis, ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque. » (17. Imo eodem die neque conferri debent ordines minores et subdiaconatus, nisi adsit consuetudo, quæ est probanda per episcopum, ut decrevit sacra congreg. Conc. in *Calaguritana ordinis* 28 April. 1694, teste cardin. Petra, tom. V *Commentar. ad const. 7 Pii II*, n. 46, qui insuper sub n. 48 subdit, quod ad dubium in sacra congregatione Conc. propositum in una Bovensi: « An ordinatus eodem die ad minores et subdiaconatum, ille, nec non episcopus ordinans in pœnas, et quas inciderint. » sacra congreg. die 7 Maii 1707 resolvit: « Quoad ordinatos dandam esse absolutionem, imposita pœnitentia salutari arbitrio episcopi vicinioris (quia episcopus fuerat particeps actionis prohibita), quo vero ad ordinantem, ad mentem, ut scilicet non solum acriter admoneatur, sed per litteras moneatur, quod licet gravior pœna ipsi esset infligenda, quia plus deliquit scienter conferendo his tribus clericis minores cum subdiaconatu eodem die: attamen ex benigni-

tate congregationis omnis pœna pro hac vice ei remittitur, quodque in posterum a similibus committendis omnino absteineat. » Atque hic attendenda est causa die 21 Februarii 1728 relata a D. cardin. de Lambertinis, vol. V, notification. 18, ut sequitur.

CALARITANA.

« In diœcesi Calaritana, et aliis regni Sardinie episcopatib. magnus est numerus clericorum conjugatorum, et ex his plerique aut facinora committunt, aut viles artes exercent, non tam in dedecus ordinis clericalis, quam in perturbationem jurisdictionis ecclesiasticæ, ut eorum immunitatem tueatur.

« Plerique ex episcopis regni Sardinie usum alias habuerunt conferendi una, eademque die ordines minores, et subdiaconatum eisdem personis. Cumque Calaritanus archiepiscopus putet, methodum hanc futuram esse aptam ad evellendos expositos abusos, ex quo videlicet, si statim ac eodem contextu, quo ordinandi primam tonsuram et minores ordines recipiunt, recipiant etiam subdiaconatum, non amplius ordinatis modus supererit reassumendi habitum laicalem, et se convertendi ad exercendas artes clericali characterè indignas; supplicat pro facultate conferendi primam tonsuram, minores ordines et subdiaconatum iisdem personis una die, hoc est in quatuor temporibus, in sabbato Sipientes, et in sabbato sancto.

« Secretarius ad calcem folii nonnulla adnotavit: quocirca onus erit EE. VV. discernere:

« Primo, an sit indulgendum petitioni in « casu? » et quatenus negative:

« Secundo, quid sit in casu statuendum « pro abusibus supradictis eradicandis? »

« Et dicta sacra congregat. respondit: « Ad primum *negative*. Ad secundum: archiepiscopus utatur juris remediis et si- gnanter statutis in cap. 6. sess. xxiii, *De ref.*, et aliis indicatis in *constit.* 17, im- pressa post synodum Romanam incip. « *Apostolici ministerii*, edita ab Innocentio XIII, et confirmata a Benedicto XIII, « *const. incip. In supremo.* »

(18. Potest tamen episcopus ordines minores ex consuetudine privatim aliquibus conferre die Veneris quatuor temporum, si sit dies festus, et in sabbato ad subdiaconatum eos promovere ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, ut decrevit sacra congreg. Conc. ad quartum dubium ex eis propositis apud Fagnanum in cit. cap. *De eo* 3, De temporibus ordinat., num. 42, quæ hac occasione hic ad litteram dantur.

(19. Præsupposito, quod minores ordines possunt conferri diebus Dominicis, aut aliis festis, dubitatur an appellatione diei festi comprehendatur festum, quod a populo colitur?

Secundo, idem est dubium quoad promovendos vigore dispositionum de promovendo extra tempora diebus festis.

Tertio, an ex consuetudine possit episco-

pus uno, et eodem die ad minores ordines aliquos promovere.

Quarto, an ubi consueverit, ordinatus ad quatuor minores ordines die Veneris, et in die sabbati sequentis ad ordinem subdiaconatus promoveri, id sit licitum propter consuetudinem?

Ad primum sacra Congr. Conc. censuit comprehendi dies festos qui a populo servantur toto tit. *De ser. de consecr.*, dist. 3, cap. 12, sess. xxv, *De regul.*

Ad secundum idem respondit.

Ad tertium, præsupposita consuetudine, posse.

Ad quartum licere episcopo, si dies Veneris sit dies festus, et si necessitas, aut utilitas Ecclesiæ, iudicio episcopi, id exposcat, juxta decretum Concil. c. 11, sess. xxiii, non tamen in publicis ordinationibus, sed privatim, et aliquibus, prædictos minores ordines conferre.

(20. Imo plurimi volunt absolute, quod, dispensante episcopo, possint ordines minores die immediate præcedente sabbatum quatuor temporum conferri, et die sabbati subdiaconatus, et ill. usum obtinuisse in Hispaniis asserunt Henriquez, lib. x, cap. 12, num. 12; Villalobos, in *Summa*, tom. I, tractat. 11, dub. 13, n. 4; Sayrus, lib. vii *De censuris*, c. 10, n. 26; Vasquez, tom. III, in tertia part., disp. 246, cap. 5, num. 48, et alii, et hoc etiam praticari in Italia referunt Mollesius in *Summa*, tract. 2, c. 14, n. 13; Reginald, tom. II, lib. xxx, tract. 1, cap. 5, num. 26; Diana, tom. I, tract. 26, resol. 28, et alii. Vide Rosignolum, *loc. cit.*, n. 18, ubi ad id multa adducit.

(21. Quoad interstitia temporum ad ordinationem requisita, Vide verb. INTERSTITIA, ubi late de omnibus.

(22. Ordinum sacrorum collationes publice in cathedrali ecclesia, vocatis præsentibusque ad id Ecclesiæ canonicis, celebrari debent. Sic expresse concil. Trid., sess. xxv, cap. 8, *De reformat.*, ibi: « Ordinationes sacrorum ordinum statutis a Jure temporibus, ac in cathedrali ecclesia, vocatis præsentibusque ad id Ecclesiæ canonicis, publice celebrentur; si autem in alio diœcesis loco, præsentem clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur; » et sic decisum fuisse refert ex multis Barbosa in d. concil., *loc. c.*, num. 12, et novissime statuit Benedictus XIII, *constit. incip. In supremo*, § 15. (23. Ordines autem minores potest episcopus conferre in ejus domo episcopali. Barbosa, *ibidem*, num. 13, cum pluribus ibi citatis; imo in ejus domo, seu capella episcopali videntur passim conferri etiam ordines sacri, ut jam usus invaluit in pluribus diœcesibus. Vide *infra*, num. 121.

(24. Qualitates ordinandorum ad valide recipiendos ordines sunt, quod ordinandi sint masculi. Communissima omnium Catholicorum.

(25. Femine enim sunt omnino incapaces recipiendi ordines, ut desumitur ex cap. *Mulieres* 19, dist. 32, et ex cap. *Nova* 10, De pœnit. et remiss., et tenent communissime omnes doctores catholici